



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Controversia V. De toto substantiali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

ideo absque necessitate, & sine fundamento dicitur rem materialem posse educi à subiecto spirituali adhuc inadæquato, quod impugnabo, dum de subiecto sensationum materialium hominis disputabo Contr. 3. de anima Punct. 1. §. 2. Quod si diceremus modum vnionis spiritualesse, in eandem, imò in maiorem difficultatem incideremus, dum ex subiecto materiali modum spiritualesse concederemus eductum.

3 Præmitto quod satis fusè explicui Puncto præcedenti, modum vnionis non necessariò subiectari in extremo, quod vnit, quia etiam si crearetur absque vilo subiecto, vtrumque vniret, quod immediatè, & per se præstat. Ex hoc infero, non esse necessariò in materia, & in forma constituendum, sed sufficienter constitui in harum altera. Ex hoc probabiliter coniector recipi in materia, & non in forma, hoc enim quod est recipere, proprius est materiæ, quæ est primum subiectum, cuius munus est recipere & materialiter causare, quàm formæ. Secundò: vnio producit ab agente naturali, à quo producit forma materialis, quæ non creatur: ergo ex eodem subiecto educit agens formam, & vnionem: sed forma materialis educitur ex potentia materiæ: ergo & vnio. Tertiò omnes dispositiones, quæ disponunt ad formam disponunt ad vnionem: ergo sicut forma & vnio habent commune subiectum dispositionum, ita habebunt comune proprium subiectum. Quartò: communis Philosophorum sententia tenet generationem subiectari in materia prima: sed generatio terminatur ad vnionem, vt probabo proprio loco, ergo vnio subiectatur in materia prima. Probo consequentiam: Actio & terminus actionis subiectantur in eodem subiecto: sed actio generatiua subiectatur in materia: ergo vnio, quæ est illius terminus. Video hæc fundamenta rem non demonstrare, sed videbis, quàm inefficacius rationes aliorum Doctorum oppositas suadeant sententias.

4 Obiicit Vasquez suprà: Forma est indifferens, vt sit per se separata à materia, vel in materia, si illam informet: ergo indiget aliquo in illa recepto ad hoc, vt constituitur in materia, & illis vnita. Concedo antecedens, & distinguo consequens; indiget alio modo recepto in ipsa forma, nego consequentiam: terminato ad formam, concedo consequentiam. Rem explico: forma materialis duplicem indifferentiam habet respectu subiecti, quamdam vt ex illo educatur, vel vt existat independens ab illo tanquam à causa materiali, hæc indifferentia tollitur per creationem quæ forma constituitur independens à materia, vel per educationem, quæ constituitur dependens à materia, & illi inhærens, seu in illa recepta. Creatio, & educio formæ ad formam terminantur, educio respicit materiam tanquam principium passium, in quo per se ipsam recipitur. Creatio nullum principium passium habet, neque in aliquo recipitur. En hæc indifferentia formæ determinatur secundum vtrumque extremum, quin aliquem modum in se recipiat. Aliam indifferentiam habet forma materialis communem etiam animæ rationali, vt vnatur, vel non vnatur subiecto. Hæc determinatur per negationem vnionis terminatæ ad illam, vel per vnionem terminatam ad ipsam, & in materia receptam. Sicuti affirmat Vasquez indifferentiam materiæ, vt vnatur, vel non vnatur formæ determinari per negationem vnionis, vel per vnionem non receptam in materia: sed tantum in forma.

5 Obiicit Soar. Tota agentis vis eò tendit, vt educat formam ex materia: ergo consequenter vt ponat vnionem in forma. Consequentiam nego.

6 Obiicit Hurtado suprà §. 68. ad conceptum rei perficientis, quæ suum effectum formalem subiecto communicat, requiritur, vt ille effectus formalis sit communicabilis per motum, aut generationem receptam in ipso subiecto: ergo vt vnio tribuat suum effectum formalem formæ, & materiæ debet recipi in vtraque per motum, & generationem. Antecedens probat: Verbum est vnitum humanitati, & non perficitur per illam: ergo ad hoc, vt vnum extremum perficiatur non sufficit terminare vnionem inter vtrumque, sed requiritur virtus receptiua extremi, vt vniti per proprium motum, ex defectu cuius Verbum non perficitur per naturam humanam, & natura humana, quæ illius vnionem recipit per illud perficitur. Respondeo negando antecedens, quia vt Puncto præcedenti ex ipso Hurtado dicebam, vnio per se ipsam, perficit materiam, & formam. Ad confirmationem respondeo, non ideo Verbum non perfici per naturam, & naturam perfici per Verbum,

quia vnio Verbi recipitur in natura, & non in Verbo, quia si vnio hypostatica crearetur, & etiam si natura rationalis daretur incapax recipiendi in genere causæ materialis hypostaticam vnionem, quæ de facto illam terminaret, & per vnionem hypostaticam Verbo vniretur, per illud perficeretur, quod negare non audebit Hurtado: ergo perfici, vel non perfici per vnionem non ex eo est quod vnio recipiatur vel non recipiatur in materia. Dico Verbum non perfici per vnionem ad naturam, quia in se est infinitum, & hæc vnio, aut natura vnita non est complementum Verbi, neque aliquo modo illa indigebat Verbum, neque ad illam ordinabatur, neque talis vnio, aut terminus illius Verbum eleuat ad aliquam operationem, aut euoluit ad aliquem statum altioris ordinis, quem Verbum ex se non pertingeret, quæ propria sunt perfectionis, & formæ perficientis subiectum. Natura verò per hanc vnionem mille modis perficitur, in primis enim illa indiget natura vt subsistentia Verbi suppleat defectum propriæ; deinde effertur ad infinitam sanctitatem, & instituitur sancta eadem sanctitate, quæ Deus sanctus est, & constituitur pertinens ad hoc suppositum Christus Filius Dei naturalis. Denique innumeris modis expendunt Scriptura, & Patres quomodo Verbum exinanitum sit per hanc vnionem hypostaticam ad naturam humanam, & naturam humanam per eandem perfecit, & ad fastigium supremi honoris euexit. Quæ ergo perfectio accrescet ex vnione ad naturam humanam diuino Verbo, ex quo omnis perfectio, & in quo omnium perfectionum scaturigiorum quæ accresceret illi, si vnionem naturæ reciperet, cuius receptio non solum Verbo perfectionem non pareret, verum etiam imperfectionem crearet, & carentiam infinitæ perfectionis, quæ gaudet, argueret? Quæ perfectio ex hac vnione non naturæ superinnaturæ quæ mediâ illâ latices fontalis originis omnium perfectionum exhaurit.

Obiicit Arriaga: Cum sunt duo ignes applicati ad producendum calorem, vtrique debet applicari calor productus tanquam effectus: Sed materia, & forma sunt applicatæ ad recipiendum vnionem: ergo vtrique illius receptio applicanda est. Respondeo applicationem ad recipiendum, vel agendum supponere virtutem extremi applicati ad actionem, vel receptionem, ad quam applicatur, & ex hoc capite formam non esse applicatam ad recipiendam vnionem, quia non habet virtutem receptiuam respectu illius. Vnionem in compositis cuius forma est materialis, materialem esse, nullus ambigit. Item in homine eiusdem esse conditionis constat ex materia, in qua recipi probauimus, ex subiecto enim materiali modum spiritualesse educi melior Philosophia non admittit. De vnionis diuisibilitate dicam Controv. 1. de anima Puncto 6.

CONTROVERSIA V.

De toto substantiali.



G 1 de omnibus principiis, ex quibus totum conficitur, accedo modò ad totum, quod ex illis coalescit.

PUNCTUM I.

An totum distinguatur à suis partibus simul sumptis & vnitis.

SIVE totum præter materiam, & formam, & vnionem, I smodum alium includat, siue non, de quo Puncto immediatè venturo, eandem semper decisionem habet, eodemque modo tractanda est præfixa difficultas. Inquirat an totum distinguatur ab omnibus partibus, & modis, quos includit simul sumptis, siue includat tantum materiam, & formam, & vnionem, siue supra materiam, formam, & vnionem, modum alium includat. In opinione enim quam veram esse probo, nullum modum distinctum ab vnione supra materiam, & formam constitutentem, inquiratur an totum distinguatur realiter à materia, formâ, & vnione, & in opposita sententia modum illum addente, quæritur, an totum distinguatur à materia, formâ

formâ & vnione, & illo modo simul sumptis. Procedit
questio iuxta terminos verioris sententiae negantis mo-
dum illum, ne multitudine terminorum minus expedite
tractetur.

Scotus, Caietanus, & alij, quos longum esset recensere,
& citatos inuenies apud Soar. in Metaph. disp. 26. sect. 3. n. 2.
in quod etiam nostri Conimbr. inclinant, docent totum
realiter distingui à materia, & formâ, & vnione simul
sumptis. Opposita sententia est communis omnium se-
re Doctorum huius temporis, cui plures ex antiquis pa-
trocinantur apud Conimbr. 1. Physic. cap. 2. q. 11. & apud
Soar. n. 6. qui præter alios refert Angelicum Doctorem,
illudque expressa testimonia pro hac sententia: eandem
amplectitur idem P. Soar. ibid. Rub. 1. Physic. tract. 39. q. 1.
P. Hurt. disp. 6. sect. 1. P. Arriag. disp. 5. sect. 1. quibus libens
subscribo.

Dico totum non distingui à materia, formâ, & vnione
simul sumptis omnibus in recto. Probo clarè, communi
ratione, neque ideo contemnenda. Totum vel includit
aliquid præter materiam, formam, & vnionem, vel non
includit: si non includit: ergo non habet ratione cuius ab
illis distinguatur. Si includit: Rursus inquiri, an distin-
guatur à materia, formâ, & vnione, & inclusio illo, quod
tu addis, ac proinde si in infinitum non abis, cogitis con-
cedere totum non distingui ab illis, quæ includit simul
sumptis, quæcumque illa sint. Confirmo & declaro eam-
dem rationem. Totum vel distinguitur adæquatè, vel ina-
dæquatè à suis partibus, & vnione simul sumptis; non
adæquatè, aliàs non erunt partes illius, pars enim necessa-
riò identificatur inadæquatè cum toto, & totum eandem
identificationem inadæquatam retinet cum parte, quæ in-
compossibilis est cum distinctione adæquatâ, implicat
enim totum inadæquatè identificari cum aliquo extremo,
& adæquatè ab illo distingui: non inadæquatè, quod sic
probo: In omni distinctione inadæquatâ debet esse aliquid
in termino distincto, per quod distinguatur: sed nihil est
in toto, per quod distinguatur inadæquatè: ergo. Maior est
per se nota, Minorem probo: In toto tantum est materia,
forma, & vnio: sed per materiam, per formam, aut vnio-
nem, non potest distingui à materia, formâ, & vnione: ergo
nihil habet per quod distinguatur inadæquatè: ergo ne-
que adæquatè, neque inadæquatè distinguitur: ergo nullo
modo.

Respondent recentiores distingui non per aliquod in
illo inclusum; sed per se ipsum resultans tanquam quid in-
cludens partes, & vnionem. Contrâ hanc solutionem idem
redit argumentum. Totum per se ipsum non potest dis-
tingui adæquatè, vt probauimus: non distingui adæquatè,
quia nihil sui est, per quod distinguatur, quidquid enim
totius aut in toto assignetur, aut erit materia, aut forma
aut vnio. Persistes dicendo totum non per aliquid illius,
sed per se ipsum distingui à materia, formâ, & vnione
simul sumptis. Contrâ: vel distinguitur per se ipsum, vel
per aliquid, quod non sit tota sua entitas; vel distinguitur
per totam suam entitatem, non per aliquid, quod non sit
tota sua entitas, quia nihil potest esse in toto, seu perti-
nens ad totum, quod non sit tota sua entitas, nisi mate-
ria, vel forma, vel vnio. Non per totam suam entitatem,
quod sic probo: Si totum distingueretur per totam suam
entitatem à materia, formâ, & vnione simul sumptis, im-
plicaret, non distingui adæquatè, quia distingui vnum ab
alio adæquatè nihil aliud est, quàm distingui per totam
suam entitatem, quod sic probo. Distinctio, & identifi-
catio secundum eandem entitatem indiuisibilem non sus-
cipit magis, & minus; illud enim quod formaliter & per
se ipsum est identificatum, vel distinctum ab alio secun-
dum illam rationem formaliter distinctam, vel identifica-
tam, non potest esse magis distinctum vel identificatum,
vt per se notum est, quis enim potest concipere maiorem
identitatem inter me, & me ipsum, quàm illam quam
habeo de facto, neque maiorem distinctionem inter me
& Petrum, in quibus nihil est commune, sed distinctio
secundum omnia, quæ pertinent ad constitutionem vni-
us: cuiusque: ergo distinctio, vel identitas maior, adæquata,
vel inadæquata ex eo sumitur, quod sit secundum totam
entitatem, vel secundum aliquid illius, & illa erit summa,
& adæquata distinctio, quæ est secundum totam entita-
tem rei, & illa tantum poterit dici inadæquata distinctio,
quæ non est secundum totam entitatem, sed secundum
aliquid illius: ergo implicat totum distingui secundum to-

tam suam entitatem à materia, formâ & vnione simul sum-
ptis, & distingui tantum inadæquatè, sed necessariò adæ-
quatè distinguendum esset, si secundum totam suam enti-
tatem distingueretur.

Confirmo eandem conclusionem. Ex eo præcisè, quod
fit materia, forma, & vnio seclusa qualibet aliâ entitate,
est totum: ergo totum non dicit aliâ tertiam entitatem.
Probo antecedens: posita materiâ, formâ, & vnione, impli-
cat materiam, & formam, non esse vnitas, quia his positis
sunt extrema vnibilia, & est tota ratio formalis adæquata
vniendi, quæ consistit formaliter in vnione: ergo posita
materiâ, formâ, & vnione, quolibet alio secluso, sunt par-
tes componentes, quia partem totum componere nihil
aliud est, quàm se vnire: ergo est totum compositum, im-
plicat enim partes esse componentes, & non esse compo-
situm, secluso etiam omni alio ab ipsis, & actuali compo-
sitione distincto.

Dixi semper totum non distingui à materia, formâ, &
vnione simul sumptis, non verò sicuti vulgo dici solet à
partibus simul sumptis, & unitis, quia, vt acutè notarunt
sapientissimi recentiores, partes simul sumptæ, & vnite
non dicunt vnionem in recto, sed in obliquo, sicuti lignum
album dicit albedinem, & ita non identificantur, neque
inadæquatè cum vnione, cum qua identificatur totum,
ex quo inferitur partes simul sumptas, & vnitas distin-
gui inadæquatè à toto: illatio est per se nota, assumptum
probo: Hæc est vera propositio: partes sunt vnite: ergo
subiectum dicit totum, quod dicit prædicatum in recto:
sed subiectum non dicit vnionem: ergo hoc concretum
partes vnite non dicit in recto vnionem: ergo tantum di-
cit partes, materiam, & formam: sed materia & forma
non possunt dici totum, neque possumus dicere materiam
& formam identificari cum toto: ergo non possumus di-
cere partes vnitas identificari cum toto. Probo conse-
quentiam: quidquid prædicatur identicè de aliquo con-
creto, debet identificari cum illo, quod concretum dicit in
recto, & non sufficit identificari cum illo quod dicit in
obliquo: sed totum non identificatur adæquatè cum illo,
quod hoc concretum partes vnite dicit in recto, quia tan-
tum dicit partes & non vnionem: ergo totum non potest
prædicari de hoc concreto tanquam quid identificatum
adæquatè cum illo. Maior inter omnes Summulistas est
certa, & patet in his prædicationibus, album est albedo,
& lignum est album, & album est lignum, quarum prior
est falsa, quia prædicatum non identificatur cum subiecto
secundum id, quod dicit in recto, etiam si verificetur cum
illo secundum illud, quod dicit in obliquo, & dæ poste-
riores sunt vere, quia etiam si subiectum, & prædicatum
non identificentur secundum significata in obliquo, iden-
tificantur secundum significata in recto, ex quorum iden-
titate desumitur veritas propositionum. Verge: Omnes
concedunt concretum hoc materia vnita forme distingui à
composito, quia non dicit in recto quidquid pertinet ad
compositum, etiam si computatis omnibus, quæ dicit in re-
cto, & in obliquo, dicat quidquid pertinet ad compositum:
ergo hoc concretum partes vnite distinguitur à composito,
quia non dicit in recto quidquid pertinet ad illud, videli-
cet vnionem, etiam si illam connotet in obliquo. Ex hoc
similiter inferes concretum vnitum, quod totum dicitur,
non esse concretum adiectiuum, quod vnionem in obliquo
significet, aliàs distingueretur à toto. Neque totum potest
includere vnionem in obliquo per modum habentis, sicuti
lignum, quia toti non superuenit vnio, sed illud constituit,
& ita vnitum adiectiuè significat extremum, quod alteri
vnitur, & vnitum substantiuè, totum, quod resultat forma-
liter ex utroque extremo, & ex vnione. Hæc omnia ad
purum loquendi modum spectant, de quibus satis.

Obiicitur primò Aristoteles 1. Meaph. cap. 14. text. 19.
asserens bis tria non esse sex; illius sunt verba: *Substantia
enim cuiuscumque est ipsum semel, & veluti ipsum sex, non quæ
bis, aut ter est, sed semel sex enim semel sex sunt.* Respondet
Hurtadus Aristotelem dicere bis tria non esse sex, sicuti
materia, & forma sine vnione non sunt totum. Hur-
tadum impugnant recentiores, ex eo quod senarius nu-
merus vnionem non includat, sed immeritò; licet enim
numerus nullam vnitatem physicam habeat formaliter
tamen eo modo, quo est vnus, vnitatem dicit, & sicuti
vnus dicitur ab intellectu numerante, ita ab illo vnitatem
extrinsecâ habet, quæ non consistit tantum in vnitate me-
diæ, sed in aliâ, quâ intellectus cognoscit vnitatem
totius,

totius, sepe enim puer duplicem quinarium numerum recenset, & non valet denarium conficere, in quo casu sunt bis quinque, seu est bis quinarium numerus, & non est denarius formaliter, sed tantum materialiter, quia non est numerus formaliter, quovisque unitates formaliter mente annumerentur.

8 Obiicies secundò alia eiusdem Aristotelis testimonia ex lib. 2. Metaph. cap. 17. text. ultimo, ubi ait Syllabam *ba* non esse *B* & *A*, nec carnem esse ignem, & terram, & ex lib. 8. text. 15. *Omnium namque* (verba sunt Philosophi) *quæcumque plures partes habent, & non est totum, quasi concernatis, sed ipsum totum est aliquid aliud præter partes.* Resp. hæc testimonia probare totum præter partes includere vnionem, neque quidquam aliud insinuate.

9 Obiicies tertio: multa conueniunt toti, quæ non conueniunt materiæ, formæ, & vnioni simul sumptis: ergo ab illis distinguitur. Probo antecedens: Totum est integrum, totum gignitur, & corrumpitur, Totum est vnum. Sed hæc non conueniunt materiæ, formæ, & vnioni: ergo. Resp. hæc omnia eodem modo conuenire materiæ, formæ, & vnioni simul sumptis, ac conueniunt toti, quia partes & vnio sunt vnum integrum adæquatum, & quælibet in se dicit unitatem inæquatum; sic totum est vnum integrum constans pluribus unitatibus inæquatis duabus tanquam extremis unitis, altera tanquam vnione: & sicut totum gignitur, & corrumpitur, quia gignitur vnio, quæ ultimò complet hominem, & eadem corrumpitur sine qua nequit subsistere: sic materia, forma, & vnio quatenus simul sumptæ gignuntur, & corrumpuntur ratione eiusdem vnionis, licet partes secundum se neque gignantur, neque corrumpantur, & sicut totum compositum habet vniam unitatem totalem, & plures partiales, sic materia, forma & vnio habent plures unitates partiales, propriam quælibet, & omnes simul totalem, ex partialibus confectam.

10 Obiicies quartò. Partes & vnio causant totum: ergo distinguuntur ab illo: Distinguo antecedens: partes, & vnio causant totum collectiue sumptæ, negò distributiue, transeat. Dico transeat, quia vnio non causat, sed est causalitas.

11 Obiicies quintò. Totum habet causam totalem intrinsecam: sed hæc non potest esse nisi materia, forma & vnio simul sumptæ: ergo sic sumptæ sunt causa adæquata totius: ergo distinguuntur ab illo. Respondeo negando antecedens, quia dicunt sibi repugnantiam causa intrinseca, & causa totalis. Rationem audi: causa intrinseca causat componendo, & conceptus causa intrinseca est conceptus partis potentis componere, & causalitas per quam dicitur actu causans, est compositio, ita vt formaliter idem sit actu intrinsecè componere, & actu intrinsecè causare, idem formalissimè sit causa intrinsecè actu causans, & actu componens: sed implicat aliquam entitatem adæquatè componere totum, vt per se notum est, quia conceptus componentis est conceptus partis essentialiter connotantis alteram compartem, cum qua simul ponatur: ergo implicat aliquam entitatem intrinsecè causare totum. Instabis totum est intrinsecè adæquatè causatum: ergo habet causam intrinsecam adæquatam. Concedo antecedens, & nego consequentiam, quia totum intrinsecè adæquatè causatum non dicit causam intrinsecam adæquatam, sed plures inæquatas. Sicuti compositum non dicit vnum adæquatum componens, sed plura componentia inæquata.

12 Vergebis iterum: ex pluribus causis partialibus fit vna totalis: sed dantur plures causæ partiales intrinsecæ: ergo ex illis fiet vna totalis. Respondeo antecedens esse verum de pluribus partialibus causis extrinsecis, non de intrinsecis. Disparitatem do: Causæ extrinsecæ causant effectum ab illis adæquatè distinctum, & ita possunt coniungi, vt influant in effectum, cui dant aliud esse ab illo, quod habent causæ influentes. Intrinsecæ causæ tantum causant per exhibitionem suarum entitatum, quas formaliter in se ipsis effectui communicant per coniunctionem vnus cuiusque cum altera mediâ vnione, ex his autem communicationibus partialibus non potest fieri vna totalis, quia non est aliud tertium, cui talis communicatio fiat, neque est extremum aliquod in effectui, cui partes simul sumptæ, & vnitæ se communicent, ac proinde non est effectus in ordine ad quem possint intelligi componentens vniam causam intrinsecam adæquatam, omnes causæ in-

trinsecæ inæquata. Persistis adhuc: causæ intrinsecæ partiales vniantur in ratione causarum: ergo ex illis fit vna totalis: Distinguo antecedens: vniantur in ratione causarum, vt efficiant vniam causam totalem nego: vniantur vt quælibet simul cum alia per vnionem tanquam per causalitatem causæ inæquata, quod in actu secundo sine vnione non præstaret, constituant vnum effectum, hoc est, totum, concedo. Sicuti partes in ratione partium vniantur, non vt faciant vniam partem totalem, implicat enim conceptui partis ratio totalis, sed vt faciant totum, quod relatiue opponitur parti, & quod essentialiter à parte distinguitur tanquam includens ab inclusio. Eadem ratione causæ intrinsecæ vniantur non vt componant vniam causam intrinsecam totalem, quia conceptus totalitatis repugnat conceptui causæ intrinsecæ, quæ formaliter dicit conceptum partis, sed vt efficiant vnum effectum, scilicet compositum relatiue oppositum conceptui causæ intrinsecæ, & essentialiter distinctum ab eadem causâ intrinseca tanquam includens ab inclusio. Hæc optimè explicant conceptum causæ intrinsecæ, si verò propter pusillorum scandalum nolis negare dari causam intrinsecam adæquatam respectu compositi, dicitò dari duplicem causam intrinsecam adæquatam, materialem vniam aliam formalem, quamlibet in diuerso genere, ex quibus non potest fieri vna totalis, quia pertinent ad diuersum genus, sed hæc responsio fuga erit, prima verò ad rem opportuna solutio.

Obiicies. Hi conceptus, *materia vnita formæ*, *forma vnita materiæ*, *materia, forma, & vnio*, non distinguuntur ex parte obiecti, vt probauimus Controuerf. præcedenti, Puncto 3. ergo quidquid prædicatur de vno potest prædicari de alio: sed de hoc conceptu, *materia vnita formæ*, prædicatur esse causam totius: ergo de illo conceptu *materia, forma, & vnio* poterit fieri eadem prædicatio. Concedo antecedens, & nego consequentiam, quia per diuersum modum significandi sine distinctione ex parte obiecti fit diuersum significatum in recto, & posito diuerso significato in recto est diuersa verificatio prædicati, quæ sumenda est ex identitate cum illo, quod ex parte subiecti se tenet in recto, & non cum illo quod est in obliquo, vt dicebam modò num. 6. Exempla plura passim suppetunt: Pallium Petri, & pallium, & Petrus, ex parte obiecti non distinguuntur. & hæc prædicatio est vera, *Pallium Petri distinguitur adæquatè à Petro.* Et hæc falsa, *Pallium & Petrus distinguuntur adæquatè à Petro.* Similiter ex parte obiecti non distinguuntur hæc complexa: *Albedo recepta quantitate, & quantitas recipiens albedinem.* Et hæc vera propositio, *quantitas recipiens albedinem ex se est impenetrabilis.* Et hæc falsa, *albedo recipiens quantitatem ex se est impenetrabilis.*

Hæc de toto substantiali essentiali, quæ in omni toto etiam accidentali, & integrali proportio seruatur obserua, nullum enim distinguitur ab illis simul sumptis, quibus constat; totum integrale non distinguitur à partibus integrantibus, & illorum nexu; concretum accidentale sicut album, si vnionem dicit distinctam inter subiectum & albedinem ab educatione distinctam, non distinguitur à subiecto, albedine, & tali vnione; si vnionem non importat distinctam ab educatione, subiectum, albedo, & educio erunt adæquatè totum. Composita quorum forma siue substantialis siue accidentalis, modalis est, per se ipsam subiecto vnita nulla intercedente vnione inter subiectum, & formam, sicuti in his concretis præsens, & subsistens, iuxta communem sententiam, quæ subsistentiam & præsentiam modum esse defendit, non distinguuntur à subiecto & forma simul sumptis.

PUNCTVM II.

An totum substantiale includat aliquid præter materiam formam, & vnionem.

Questionem hanc vnus his temporibus in scholis P. Gabriel Vazquez inuexit, qui tom. 1. in 3. parte disputat. 19. numer. 26. in composito substantiali modum quemdam substantialem constituit deriuatum à forma distinctum ab ipsa, & ab vnionis modo, vt apertè declarat num. 29. *Scilicet contra vero*, ubi arguit ab inconuenienti contra Philosophos qui tantum admettebant in composito substantiali materiam, formam, & modum vnionis. Communis sententia, quam amplector, negat dari in composito

talem modum, cuius præcipuum fundamentum est, illud superfluum poni, quod nobis notum fiet, si expendamus rationes quibus Vazquez, & cum illo docti recentiores illum propugnant; singula referam, expendam, & solvam.

Arguit 1. Vazquez num. 28. Diuerso modo constituitur compositum substantiale, & accidentale, quia in composito accidentali subiectum tantum est vehiculum accidentium, in composito verò substantiali viuenti, materia non tantum est vehiculum formæ, sed principium operationis vitalis, & viuificatur ita vt deinde nouum esse habeat, quod sit viuere, nam teste Aristot. 2. de anima c. 4. text. 27. *viuere viuentibus est esse.* Materiam in viuentibus esse principium operationum vitalium, quæ propriæ non sunt animæ, sicut intelligere, & velle, sed compositi probat Vazquez ex Aristotele 1. de anima cap. 4. textu 64. *Dicere autem animam irasci vel timere, simile est ac si quispiam diceret animam texere, vel edificare, nam melius est fortasse dicere, non animam sed hominem animam misereri, vel discere.* Multa in hac ratione inuenio difficillima: faciliè ab omnibus me expediam. In primis difficile est Arist. hoc text. citato docuisse has operationes de quibus loquitur procedere efficienter à materia, & ipsum loqui de operationibus corporeis, & non spiritualibus, vt vult Vazquez; cum Aristoteles loquatur de actu miserendi, & discendi, qui sunt actus voluntatis, & intellectus. Dicerem ego Aristotelem hic docuisse omnes operationes quas exercet animus in statu vnionis tribui composito, quod dicitur irasci, timere, misereri, & dicere, etiam si actiones spirituales saltem ab anima tantum efficienter producantur, quia tamen non producuntur de facto independenter à materia, & quia totus homo dicitur videre & intelligere; ita toti tribuuntur rationes, etiam si plures illarum, & forsitan omnes tantum ratione animæ exerceat. Hæc omitto de quibus Controuers. 3. Punct. 1. de anima latè dicam. Do materiam primam principium esse actionum vitalium. Venio ad illud nouum esse quod habet materia, quo iam viuere dicitur, quod certè non penitus percipio. Modus ille adæquatè distinguitur à materia prima, & materia, quæ modò est sub forma viuentis cum illo modo, & quæ antea fuerat, destructo viuenti postea erit sine illo: ergo modus ille non dat nouum esse materiæ neque materiæ postquam illud habet nouum aliquid esse recipit quod sit proprium esse illius per quod formaliter existat. Rursus si modus ille tribuit nouum esse materiæ siue distinctum, siue indistinctum ab ipsa materia, cur non poterit eadem forma nouum illud esse tribuere modo illo non intercedente? Dices modum illum esse deriuatum à forma, & ita ab ipsa distingui. Contrà: modus ille deriuatus à forma immediatè siue alia deriuatione se infert materiæ, & illi tribuit nouum esse; ergo ipsa forma poterit absque vlla deriuatione se insinuare in materiæ præcordia, & illi dare illud esse nouum. Omitto alia contra hoc nouum esse materiæ quod mihi semper nouissimum erit.

Respondet totum substantiale, & concretum accidentale ex eo distingui, quod concretum accidentale constituitur per formam, & informationem accidentalem, & sæpe ex parte subiecti supponit totum substantiale adæquatè constitutum, & forma accidentalis huius concreti constitutiva primò, & per se intenditur propter subiectum à quo distinguitur. Totum verò substantiale constituitur per formam, & informationem substantialem, & illius forma non intenditur à natura propter subiectum ab illa distinctum, sed propter compositum, quod constituit, & nunquam supponit subiectum substantialiter completum, sed semper incompletum, cum quo totum completum componit. Ad illud quod additur de operationibus, concedo subiectum aliquando totum concurrere ad operationes formæ accidentalis quatenus illam sustentat, quæ æquè bene fierent dum forma accidentalis existeret, etiam si subiecto careret. Et concedo similiter operationes plures viuentis exercendas non esse à forma existenti sine materia, quia de facto dependent ab illa exercentur, & admitto ad præsentem questionem materiam ad illas effectiue immediatè concurrere, ex hoc tamen non inferitur, materiam recipere nouum esse, neque per se ipsam esse viuentem, sed tantum simul cum anima effectiue concurrere ad operationem vitalem, sicuti concurrunt species impressæ, & alia principia.

Arguit secundò P. Vazquez: Anima rationalis tribuit materiæ non solum esse hominis, sed esse animalis, viuentis, & corporis, & omnem rationem genericam, quæ est sub prædicamento Substantiæ: ergo debet tribuere modum alium distinctum à se ipsa, quia cum sit spiritualis non potest tribuere materiæ rationem corporis, quam non habet, neque homo dici potest corpus ratione vnus partis, videlicet materiæ, aliàs non minus diceretur homo spiritualis, quàm corporeus, neque vniuocè diceretur corporeus homo cum equo, cum equus secundum se totum esset corporeus, & homo tantum secundum materiam: ergo necessum est animam materiæ communicare alium effectum formalem distinctum à se ipsa, ratione cuius habeat esse corporis, & esse animalis, & c. ita P. Vazquez num. 31. explicui Controuers. 3. Puncto 2. num. 11. quomodo homo præcisè ratione materiæ quolibet alio secluso, corporeus dici debeat, etiam si rationem spiritualement dicat præcipuum constitutum, ideo hanc obiectionis partem non tracto. Omitto similiter reliqua prædicata posse immediatè ab ipsa anima materiæ communicari, quod iam tetigi. Venio ad explicandum hunc effectum formalem, quem forma materiæ tribuit iuxta Vazquez Philolophiam, ratione cuius materiæ tribuere dicitur rationem animalis, & rationem viuentis. Animalis ratio quam forma tribuit materiæ, vel est totum compositum, vel aliquid in illo inclusum: si totum compositum falsum est formam materiæ talem rationem tribuere: si est aliquid inadæquatè pertinens ad compositum, quod tribuit rationalis anima ab ipsa distinctum: ergo in homine est ratio animalis, quam tribuit anima, distincta ab ipsa anima: ergo dicemus hominem constare ratione animalis, & anima ab hac ratione distincta: ergo anima formaliter non est constitutiva rationis animalis. Secundò materia, etiam quando est animata informata, tantum habet esse partem componentem animalis, & hominis, qui constat ex materia, & forma: ergo materia non habet à forma esse animalis, sed tantum ratione vnionis habet esse partem actu componentem animalis, quod per se habebat tantum in potentia: ergo dicendum non est animam tribuere materiæ esse animalis, nec esse hominis, sed tantum formam cum materia constituere animal, & hominem medià vnione: ergo forma tantum se ipsam communicat materiæ, & effectus formalis est totum, in quo ipsa forma, & materia continentur, quod totum effectus formalis dicitur, quia vltimò per formam completur, quod impediri nequit posita formà cum vnione ad materiam, cum totum vt dictum est Puncto præcedenti, nihil aliud sit, quàm materia, forma, & vnio inter vtramque.

Arguit P. Vazquez num. 32. Homo viuunt vità corruptibili: anima rationalis est incorruptibilis; ergo præcisè per animam rationalem non potest viuere vità corruptibili: ergo dandus est modus aliquis ratione cuius homo viuunt vità corruptibili. Si ad modum vnionis recurramus, occurrunt Recentiores: corrumpi animam rationalem, sed in diuerso statu constitui: ergo ex eo quod modus vnionis corrumpatur non corrumpitur vità hominis identificata cum animo rationali: ergo vt corruptibilis sit vità hominis, dandus est alius viuificationis modus, ratione cuius homo viuificetur, qui corruptibilis sit. Contra rationem hanc sic insurgo: modus ille vnionis vel est vità formaliter per se ipsum, vel viuificatur ab anima: si est vità formaliter per se ipsum habebit rationem formæ substantialis vitalis, & formaliter erit anima, & constituens viuens quatenus ab animo rationali distinguitur, & ita in homine erit duplex anima rationalis, & illa, quam hæc inuenit opinio. Dices modum hunc non esse animam, quia deriuatur ab anima rationali. Sed quid inde? etiam si ab anima rationali deriuatur ab illa distinguitur, & formaliter per se ipsum quatenus ab anima rationali distinguitur est vità: ergo formaliter est anima, omnis enim actus materiæ, qui formaliter est substantia, & per se ipsum vità in actu primo essentialiter est anima. Si dicas modum illum viuificari per animam rationalem, modus ille viuunt vità identificata cum anima rationali: ergo homo, qui viuunt vità, quam formaliter dicit talis modus, viuunt vità identificata cum anima rationali: ergo hoc modo posito remanet integra difficultas, quam argumentum proponit. Secundò modus ille, vel est vità adæquata hominis, vel inadæquata: si adæquata: ergo anima rationalis non est vità hominis: si inadæquata: ergo non est principium operationum

tionum vitalium. Vtraque consequentia certissima est, prima per se nota, secunda procedit à negatione definiti ad negationem definitionis: vita enim in actu primo, iuxta communem sententiam, est principium immanens operationum vitalium; ergo si anima non est vita hominis, non erit principium immanens operationum vitalium. Si modus ille est vita inadequata: ergo homo viuit modo illo, & anima rationali: ergo sicut viuit dicitur vitâ corruptibili ratione illius modi corruptibilis, ita dicitur viuire vitâ corruptibili ratione animæ rationalis: ergo si ex eo quod homo viuat per animam rationalem dicitur viuire vitâ incorruptibili; absolutè modo illo admissio poterit dici vitam saltem inadequatam hominis esse incorruptibilem, & ita non corrumpi vitam hominis secundum se totam.

6 Respondeo corruptâ vnione corrumpi totum hominem, non quia corrumpantur singulæ partes illius, sed quia corrumpitur aliquid, sine quo, reliquis etiam partibus permanentibus, totum nequit existere, corrupto homine, corrumpitur necessariò viuens quod est ipse homo, & hac ratione dicitur homo viuens corruptibile, non quia vita formalis, seu id, quo homo viuebat corrumpatur, sed quia definit, esse illa vita in ordine ad viuens constituendum, etiamsi in se permaneat.

7 Ex his infero superfluum, & absque efficaci fundamento hunc modum in composito constitui: ex quo capite tantum efficacissimè reicitur, eodem enim iure quo modus iste ponitur, possent alij plures, præcipuè alius communicatus formæ à materia, qui corresponderet ex parte formæ, huic, quem in materia ponit Vasquez deriuatum à formâ, cum enim vtrumque extremum mutuò vniantur, & mutuò suum esse vnum alteri mediâ vnione in toto communicet, ita deberet mutuò diuersos modos sibi inuicem communicare. Deinde ratio, quæ hunc modum propugnat in homine petita ab spiritualitate animæ, quæ non potest materia tribuere rationem corporis, etiamsi efficax esset, tantum probaret modum hunc dandum esse in composito materiali constante formâ spirituali. Rationes alia, quæ sumuntur ex vitalitate, & ex ratione animalis, quam forma debet materiæ tribuere, etiamsi modum istum in viuentibus extorquerent, in reliquis compositis substantialibus non viuentibus, in quibus forma non communicat materiæ rationes has nihil præstarent, quapropter admissio illo modo in viuentibus negandus esset in reliquis compositis, in quibus superfluum esset, siquidem non deferuisset ad communicanda illa prædicata, propter quorum communicationem inuentus est. Seio dixisse Vasquez n. 28. licere in non animantibus instar animantium philosophari, sed certè id non assequor.

PUNCTUM III.

An possit dari compositum constans materiâ & formâ spirituali.

1 **N**egatiuam partem defendit Hurtadus disp. 2. de anima, sect. 12. quam docuerat Pater Suarez disput. 13. Metaphysic. sect. 14. num. 14. vbi docet expressè non inuenisse conclusionem, quam docet apud auctores. Affirmatiuam sententiam tenent sapientissimi recentiores, quos sequutus est Arriaga disp. 1. de anima, sect. 5. vbi refert pro hac sententia Aureol. Alensem, & aliquos quos citat P. Suarez num. 5. sed horum Doctorum auctoritas hac in re nobis tuta non est, quia illorum fundamentum valde alienum est à nostra, & communi sententia; asserbant enim prædicti Doctores nullâ substantiam adhuc spiritualem posse inueniri, quæ his partibus non componeretur.

2 Ostendam Controu. 1. de anima, Punct. 5. non esse de conceptu rei spiritualis non constare partibus, ex quo principio ibi statuendo facillè meam conclusionem depromo. Non est contra conceptû rei spiritualis cõpositio partium integralium, neque essentialium: ergo cõpositio ex subiecto & formâ spirituali potest cadere in compositum spirituale. Probo consequentiam: Si ex aliquo capite talis compositio repugnaret, tantum esset ex prædicato spiritualis, ex hoc non repugnat: ergo ex nullo. Accedant huic rationi solutiones argumentorum, quæ contra hanc substantiam fiunt, ex quibus constabit nul-

lam reperiri repugnantiam in tali substantia, ex quo affirmatiua pars in his questionibus inferenda est.

Obiicies ex Suariorum: Omnis forma spiritualis potest operari independentè à subiecto: ergo nulla illo indiget: ergo nulla potest illud habere. Si aliquid probaret hæc obiecto suaderet formam spiritualem non indigere adhuc materiali subiecto, neque cum illo posse totum componere, quod est contra constitutionem hominis ex materia & formâ spirituali. Respondeo non omnem formam spiritualem posse suas omnes operationes exercere independentè à subiecto spirituali: sicut enim materiales formæ, etiamsi crearentur non possent exercere omnes suas operationes sine subiecto materiali, quod etiam creatæ indigerent ad aliquas exercendas, sic forma spiritualis indigere potest subiecto spirituali ad alias operationes materiales obeundas. Quod si vnâ, vel alteram operationem posset talis forma sine subiecto exercere, quia anima rationalis plures obit operationes, etiam separata à materia, non tamen ideò illam abhorret, sed illâ indiget ad aliarum exercitium. Si roges quomodo indigeret talis forma subiecto spirituali. Respondeo, posse illo indigere tanquam principio actiuo, quia non est contra rationem subiecti esse principium actiuum operationum compositi, multi enim sentiunt materiam simul cum forma actiuè concurrere ad sensationes. Posset etiam illo subiecto indigere ut esset passiuum principium operationum, quas forma, etsi materialis non posset recipere, non enim bene valet: forma est spiritualis: ergo potest recipere omnes operationes materiales: est enim sententia trita satis inter Philosophos sensationes materiales bruti non recipi in forma, sed in materia, & consequenter non posse recipi, quia si posset recipi de facto reciperentur, quia non recipiuntur libere, sed necessario in subiecto, in quo possunt recipi. Posset etiam indigere subiecto, non ut operationes, sed ut species ad illas requisitas reciperet.

Obiic. secundò: Tale compositum fore corruptibile. Nec consequentia tenet, nec consequens terret. Consequentia non tenet, quia celi in communi sententia compositi sunt ex materia & formâ, & tamen sunt incorruptibiles. Consequens non terret, quia inconueniens non est asserere posse dari compositum spirituale secundum materiam & formam, & corruptibile in ratione compositi, ad quod tantum requiritur vnionem fore corruptibilem, neque erit contra rationem vnionis spiritualis posse corrumpi, multi enim asserunt vnionem corruptibilem hominis spiritualem existere.

Obiicies tertio: Spirituale est magis perfectum quàm materiale: ergo habet minorem compositionem: ergo est magis simplex: ergo non habet compositionem ex materia & formâ. Respondeo negando vltimam consequentiam admissis omnibus præmissis. Quia maior simplicitas in substantia spirituali potest consistere in aliquibus speciebus in carentia compositionis essentialis, quam intendit obiectio, in aliis tantum in minori compositione accidentali, quia id, quod præstat substantia corporea per plura accidentia, per vnum tantum exhibet spiritualis substantia intelligendo per species vniuersaliores, & per cognitiones, quæ plura obiecta simul amplectuntur. Potest item hæc maior simplicitas consistere in carentia compositionis integralis.

Obiicies quartò: Si substantia spiritualis composita ex materia, & formâ possibilis est: non est fundamentum ad asserendum Angelos, qui de facto dantur non habere talè compositionem. Respondeo in primis esse fundamentum negatiuum, quia nulla est, vel leuis coniectura, ex qua possumus deducere Angelos, qui de facto dantur, habere talem compositionem, & ad negandam compositionem, & multiplicationem entitatum, fundamentum negatiuum sufficiens est. Reperitur etiam ratio positiua à posteriori ex perfectissimis operationibus, miraque illorum virtute, quæ perfectissimam arguit substantiam, illorumque simplicitatem suadet, cum substantia eò sit perfectior, quò simplicior. Accedit Patrum atque Doctorum communis consensus, quo substantiæ Angelicæ absque compositione ex materia, & formâ recensentur. Hæc omnia rem moraliter omnino ceram reddunt, neque vllum locum in intellectu prudenti formidini relinquunt.

Inquirere posset, an sicut datur compositum constans formâ spirituali, & subiecto materiali, possit dari aliud cõstans subiecto spirituali, & formâ materiali. Pauca mihi certa

certa sunt, cum de possibilibus disputo. Negativè respondet. & simul rationem, & disparitatem reddo: forma spiritualis potest habere virtutem actiuam ad efficiendas operationes, v. g. sensationes materiales, quæ exerceri non possunt sine subiecto materiali, in quo recipiatur, tum operationes, tum species materiales & alia principia, seu organa requisita ad tales operationes exercendas; forma verò materialis non potest efficere spirituales operationes, ac proinde non potest indigere subiecto spirituali, vt in illo recipiantur spirituales operationes, quas efficere nequit, neque materiales, quæ in subiecto spirituali recipi non possunt. Neque materialis forma dependere potest à subiecto spirituali in genere cause materialis, ac proinde nullum apparet caput, ex quo possit forma spiritualis subiecto materiali indigere.

PUNCTUM IV.

An possit dari compositum constans duplici parte essentiali, quarum neutra sit materia, neque forma.

- 1 **C**ompositionem essentialē, quam hucusque notauimus in materiā, & formā resoluimus, ex quibus conuenit, cum autem solerter indagarem conceptum metaphysicum materiæ, & formæ hæc quæstio in mentem incidit, an videlicet dari possit compositum essentialiter includens duas partes, ita vt qualibet deficiente deficiat illius compositionis essentia, sicuti deficiente materiā, vel formā, etiam si altera earum partium subsistat, deficit totum ex vtraque constitutum. In hac quæstione desiderari non debent auctores pro affirmatiua, aut pro negatiua sententia, neminem enim hucusque vidi difficultatem hanc definiētem.
- 2 Negatiua pars suaderi potest auctoritate totius Scholæ, quæ tantum cognouit compositionem essentialē ex materiā, & formā, recedere autem à sententia omnium Doctorum, sine fundamento valde vrgenti, nefas est. Hæc ratio parum premit, quia auctores hucusque tantum egere de compositione essentiali, quæ de facto datur, non de illa, quæ de potentia Dei absoluta dari potest, seu de compositione omni, quæ lato possibilitatis campo depascitur: ac proinde licet nullus quem hucusque viderim hanc compositionem admiserit, nullus quem sciam illam negauit. Ex hoc infero nullam Doctorum auctoritatem huic compositioni suffragari, aut refragari, & ita rationis tantum trutina appendenda est.
- 3 Vnum in hac compositione difficile esse potest: reperiri formalitates his partibus accommodatas, quas constitutum materiæ aut formæ adhuc physice non transcendat. Ex hoc capite ita potest fieri argumentatio: eo ipso quod habeant cōceptum quidditatum partium essentialium, habent rationem formalem constitutiuam materiæ, aut formæ: ergo implicat partes essentialēs compositi, quæ rationem materiæ, & formæ non induant. Probatio antecedentis ita tentanda est: Secluso conceptu constitutiuo materiæ, & constitutiuo formæ nullus remanet per quem entitas possit formaliter constitui in ratione partis essentialis: ergo talis constituenda est per conceptum quidditatum materiæ, aut formæ; ergo implicat dari partem essentialē, quæ alterum horum conceptuum intrinsece non imbibat.
- 4 Ex solutione huius rationis totum fundamentum partis affirmantis, in quam eo defumendum est. Suppono ex dictis de conceptu quidditatu materiæ, & formæ Controu. 2. Punct. 3. & Controu. 3. Punct. 3. quosdam constituere conceptum quidditatum materiæ in virtute receptiuæ formarum, & conceptum formæ in ordine ad materiā potentem recipere formas, tanquam ad aliquam partem. Alios verò conceptum materiæ in indifferentia ad terminandam vnionem cum aliis compartibus essentialibus diuersæ speciei, & conceptum formæ in determinatione ad illam compartem vnus tantum speciei: constituēbant alij conceptum materiæ in virtute passiuæ operationum compositi, & conceptum formæ in virtute actiuæ earundem. Alij dicebant materiā à forma differre, ex eo quod materiā esset radix impenetrationis, & non forma. Ego dixi conceptum materiæ consistere in ratione perfectibilis, per aliam compartem, & conceptum formæ in ratione perficientis compartem aliam. Sume tibi conceptum

quem ex his malueris pro materiā, & formā constituenda, & illo secluso adhuc plures remanebunt in illa entitate formalitates, ex vi quarum entitas illa pars essentialis constituitur, & quæ in alia entitate possint existerē sine identitate cum illo conceptu excludo.

Excurro singulos materiæ, & formæ conceptus. Seclusa virtute receptiuā formarum à materiā prima, in sententia, quæ in hac materiæ essentiam constituebat, non remanet materiā, neque remanet formā, quia conceptus formæ, qui antea non erat in materiā, non resultat præcisè ex negatione conceptus materiæ, cum sit positius, & formaliter non consistat in negatione: sed hoc conceptu secluso adhuc manet pars essentialis: ergo conceptus partis essentialis secundum hanc sententiam non includit materiā, aut formā: Maior est per se nota, Minorem probō. Seclusa virtute receptiuā remanet vnibilis alteri extremo, seu comparti per vnionem, ex qua totum vnium resultat: ergo quod sine vtraque parte subsistere non poterit, & cuius partes seorsim non poterit exercere operationes illas, quas simul exercent, & quæ specie differant, & vna ordinetur essentialiter ad vnionem cum altera, & petant vniri cum intima penetratione, & non tantum more integrantium per approximationem immediatam: ergo entitas illa remanebit cum conceptu partis essentialis, quia conceptus partis est conceptus vnibilis ad aliam compartem, & differentia partis essentialis ab integrali, optimè constituitur per diuersitatem specificam partium, & per ordinem ad vnionem faciendam cum intima penetratione inter extrema, quorum vtrumque ordinetur essentialiter ad constitutionem totius, & neutrum primariò, & per se ad alterum à quo adequatè distinguatur. Cæterum conceptus hos posse dari in aliqua entitate separatos à virtute receptiuā difficultate caret, nulla enim est cōnexio inter virtutem receptiuā, & vniciuam, neque aliqua leuis implicatio dari potest, in eo quod detur entitas sic vnibilis, quæ virtutem non habeat receptiuā alterius extremi, cui est vniciuam, neque vnionis, mediā quā illi annexenda est, vt de facto fatentur omnes, qui negant conceptum materiæ consistere in hac virtute receptiuā. Vidi aliquos adherentes sententiæ constituenti materiā conceptum modo explicato, qui negant posse dari compositum essentialē constans duabus partibus, quarum neutra virtutem habeat receptiuā modi vnionis, quia compositum illud constaret, & non constaret materiā, & quia conceptus materiæ, quam essentialiter dicit totum, formaliter dicit virtutem receptiuā: ita ferè omnes negant posse dari compositum essentialē, cuius partes non habeant rationem illam, quam putant esse constitutiuam materiæ, & formæ. Hi omnes confundunt præcedentem rationem, quia nondum concipere totum constans partibus essentialibus, quarum neutra sit materiā, vel formā, & ita tenentur sic philosophari, vt suam sententiam quoquo modo defendant, illorum tamen discursum sic infringo. Pono conceptum materiæ consistere in virtute receptiuā: dato composito essentiali constante partibus, quarum nulla haberet receptiuā virtutem non daretur duplex illud contradictoriū: ergo malè hoc inconuenienti illud totum denegant: Antecedens probō: dato illo toto, hæc propositio esse vera, *totum hoc non constat materiā: hæc esset falsa, totum hoc constat materiā*, quæ tantum potest probari ex hoc principio, *omne totum essentialē constat materiā*, quod ego nego, & probare non poteris, neque per se notum est, ergo ex inconuenienti huius contradictionis negandum non est, posse Deum creare partem essentialē, quæ non habeat rationem constitutiuam materiæ, aut formæ.

In aliorum sententiis idem omnino fieri potest discursus, quia auctores qui dicunt rationem materiæ consistere in differentia ad plures formas, & rationem formæ in ordine ad partem sic indifferentem, rationem reddere non poterunt cur non possit Deus creare cōpositum constans duabus partibus essentialibus ita determinatis, vt se inuicem vniant per se ipsas, vt neque de potentia Dei absoluta possint non esse inter se vnitæ, & illarum quælibet sit per suam entitatem determinata ad vnionem cum alia determinata comparte. Vel etiam si per superadditum modum vniantur, & possint de potentia Dei absoluta non esse vnitæ, incapaces sint determinandi vnionem cum aliis compartibus, sicuti multi affirmant de celestibus corporibus. Qui etiam materiā in virtute passiuā, & formā, in actiuā constituēbāt, rationem reddere non possunt, propterea

propter quam repugnet totum, quorum vtrique pars sit æquæ actiua, & passiua in ordine ad operationes, quia omnes ab vtraque indiuisibiliter actiue procedunt, & in eisdē indiuisibiliter recipiuntur, vt multi tenent contingere de facto in composito materiali, quarum actiones à toto indiuisibiliter procedere, & in toto indiuisibiliter recipi existimant. Qui constituebant rationem materiæ in radicali impenetratione, rationem apparentem non inuenient ad negandum compositum cuius vtrique pars æquæ sit impenetrationis radix, in quo neutra habebit rationem formæ, neque materiæ, ex hoc capite, quia vtrique materia, aut vtrique forma esse non potest, neque speciale constitutum materiæ, aut formæ in aliqua reperietur. Neque iuxta sententiam, quam tradidi de conceptu materiæ, & formæ potest inueniri ratio ad negandum compositum, cuius partes æquæ mutuò perficiantur in toto, quarum nulla specialiter perficiens, aut perfectibilis dici poterit, & ita rationem materiæ, aut formæ neutra habebit.

Obicit vtrique pars compositi, quod nos dicimus non constare materiâ, & formâ, esset actus primus compositi: ergo esset forma, quam semper Aristoteles definit per rationem actus primi. Vires relumet obiectio: ponamus illud compositum esse viuens organicum. Tunc sic: Quælibet pars illius compositi esset actus primus compositi organici potentia vitam habentis: ergo esset anima: ergo esset forma, cuius conceptus includitur in conceptu animæ: ergo totum illud constaret duplici formâ, quod absurdum est: ergo totum illud non est admittendum. Resp. nullam partē illius compositi futuram esse formam, quia in omniū opinione forma essentialiter dicit ordinem ad materiam, tanquam ad compartem: sed nulla pars diceret ordinē ad materiam tanquam ad compartem, vt supponit obiectio, quæ intendit probare vtramque partem futuram esse formam: ego nulla pars esset forma. Ad rationem respondeo Aristotelem definitisse formâ per actum primum potentie seu materiæ, & animâ per actum primum materiæ, quam multi volunt significari per particulam *corporis*, vel etiam si non significetur per illam particulam materiâ, sed totum compositum, anima & quælibet forma dicitur actus compositi, non quia compositum respiciat tanquam potentiam, sed quia illud constituit actuando potentiam seu materiam, & ita actus ille, qui tantum fuerit constitutus compositi, non dicitur actus alicuius potentie quam includat compositum, neque forma neque anima dici potest. Contra hoc totum obiectio aliam non inuenio, quam non soluerim, dum illius constitutionem explicui, & conceptus partium essentialium quas includit, exposui.

Moneo hoc totum non posse esse vegetabile, quia vtrique pars illius necessariò esset per creationem producenda, quia nullum præsupponeret subiectum, & ita non posset ab agenti creato, vel minima illius portio necessestariò creanda produci. Posset à Deo generari, & corrumpi ratione vnionis quæ posset non creari, sed educi ex altera parte in opinionem, quæ in hac virtute educiua existente, in altera parte rationem materiæ non constituit, & secundum eandem opinionem posset ex vtraque indiuisibiliter educi, quia per virtutem educiuiam communem vtrique parti neutra potest constitui materiâ respectu alterius. Quod si ex eo quod vnio educatur etiam ex vtraque parte, alteri earum velis conceptum materiæ, & formæ adherere, non ideo totum hoc exterminandum erit, facile enim dici poterit vnionem ex nullo præsupposito subiecto educi, sed creari. Si roges an corpus illud posset esse sensitiuum, Respondeo nullam inuenire repugnantiam in eo quod posset esse sensitiuum per sensationes diuersæ rationis, ab his quæ de facto sunt dependentes à materiâ.

P V N C T U M V.

An possit dari corpus omnino simplex.

§. I.

De compositione essentiali.

CORPORA, quæ de facto existentia cognoscimus per generationem, & corruptionem aliorum producta duplici constant parte essentiali, materiâ videlicet, & formâ, aliam insuper compositionem integralium partium habent, in quas diuidi possunt, de vtraque com-

positione inquiri, an ita sit de conceptu totius completi corporis, vt repugnet sine illa corpus aliquod inueniri. De compositione essentiali negatiuam partem defendit Hurtad. disp. 1. de cælo, sect. 1. qui putat non posse dari corpus completum carens materiâ & formâ. Affirmatiuam sententiam multi tenent apud Suar. qui illam amplectitur disp. 13. Metaph. sect. 10. & apud Conimb. lib. 1. de cælo. cap. 2. quest. 4. art. 1. qui sentiunt corpora cælestia hæc compositione carere, & de cælo saltem empyreo id multi defendunt: eidem sententiæ assentitur Arriaga, cum pluribus recentioribus, quam communem esse inter Scholasticos testatur Suarez supra.

Sentio posse dari corpus completum expers compositionis essentialis. Nonnulla sit conclusionis coniectura in rebus spiritualibus dari entitatem simplicem completam, sicut est Angelus; & incompletam, sicut est anima rationalis: ergo in rebus corporeis dabitur entitas simplex incompleta, sicut materiâ & formâ; & completa, quæ erit corpus hoc, quod propugnabo. Secundò sic arguo: Nulla est neque apparet repugnantia in hoc corpore: ergo est obiectum omnipotentie diuine; quæ ad omnia quæ contradictionem non inuoluunt se extendit: antecedens probandum est solutione argumentorum, quæ hoc corpus impugnant, idè ad illa venio antequam meam sententiam explicem de corpore compositione integrali carente.

Obicit primò Hurtadus: Corpus illud non potest esse vegetatiuum, quia vegetatio fit inter subiecta affecta qualitatibus contrariis, quæ sibi inuicem perniciem machinantur, corpus autem illud capax non esset harum qualitatum, quia qualitates ordinantur ad nouam formam introducendam in subiecto: sed corpus illud non esset capax nouæ formæ: ergo non esset capax qualitatum, quæ ad illam disponunt. Solutionem impugnatione præoccupat Hurtadus, asseritque illud corpus non posse ab intrinseco augeri sine corruptione substantiæ, sed per vnionem iam productæ, sicut augetur aqua, quod sic probat: Illa corpora augentur ab intrinseco, quæ ab intrinseco corrumpuntur, quia augmentatio est ad resarciendas partes deperditas per diminutionem. Respondeo, nullum esse inconueniens asserere corpus illud non fore vegetabile, id tamen non probat Hurtadus; ito solutioni quam ipse impugnare intendit, & impugnationi Resp. augmentationem non solum esse ad reparanda damna decretionis, sed absolute ad maiorem substantiam acquirendam, & ad perueniendum ad perfectum statum viuentis, vt patet in infantibus, in quibus substantia, quam per augmentationem acquirunt longè excedit illam, quam per diminutionem deperdunt.

Instat Hurtadus: Si corpus illud esset diuiduum, esset corruptibile, quia ita posset diuidi, vt diuisio perueniret ad partem minorem minimo requisito ad conseruationem: ergo si corpus illud esset diuiduum, esset corruptibile: aliam cum esset simplex, & completum esset incorruptibile: ergo esset corruptibile, & incorruptibile. Sic cum Arriaga interpretor Hurtadum num. 9. in quo vix perfectum sensum reddunt illius verba, culpâ credo Typographi, qui dum hæc in posteriori editione priori addidit, forsân omisit aliquid, quo asseuerentur. Lege Hurtadum ab illis verbis *Item corpora diuidua*. Neque refert, ait Hurtadus, materiâ primam esse diuiduam, & non esse corruptibilem, quia materiâ prima in quacumque mensura diuisa potest acquirere aliam formam, cum qua possit conseruari sine maiori extensione. Instantiam hanc sic impugnat Arriaga: materiâ prima sub quacumque mensura minima potest conseruari cum aliqua forma: ergo potest dari corpus simplex, quod possit etiam in quacumque mensura conseruari: hæc redargutionem ita claram putat Arriaga, vt miretur potuisse concedi corpori composito ex materiâ, & formâ capacitatem diuisionis sine corruptibilitate, & id negari corpori simplici. Admirationem potest Arriaga deponere doctrinâ Hurtadi attentè inspectâ. Defendit Hurtadus corpus simplex necessariò viuens esse futurum, quod minimum ad sui generationem requirit. Ex quo inferitur illud corpus simplex non posse conseruari in quacumque minima extensione, compositum verò ex formâ, & materiâ potest esse non viuens, quia etiam si materiâ sit sub forma viuentis, & per diuisionem redigatur ad extensionem minorem minima requisitâ ad illam formam sustinendam, potest alia forma aduenire cum qua conseruetur, in illo autem viuente simplici cum semper viuentis ratio esset conseruanda, semper retinenda esset extensio ad illam requisitâ.

Alio

5 Alio modo rationem Hurtadi impugno, in qua multa
difficilia, & nihil quod difficultatem ingerat inuenio. In
primis falsum est principium, quod supponit, scilicet,
omne corpus diuiduum esse corruptibile, calum enim
diuiduum est, & iuxta communem sententiam corrumpi
nequit, non enim ex eo quod sit diuisibile mathematicè
in partes, quibus constat, inferitur esse diuisibile physicè
ab agente naturali: quod si supponat corpus illud esse di-
uisibile, non solum mathematicè, sed etiam physicè, gra-
tis sibi hoc principium assumit. Neque ad defendendū cor-
pus hoc non esse diuisibile rationem aliquam desiderarem
præter illam, quam ipse adducit, si efficax esset, scilicet,
diuisionem fieri, per receptionem corruptibilem qualita-
tum, quarum incapax esset tale corpus, quo admissio ex
suis principis illius argumentum irritum sit; si enim diui-
sio faciendā est per receptionem qualitatum, quas corpus
hoc recipere nequit, rectè defendam ego corpus illud
physicè diuidi non posse, etsi aliis mathematicè diuisibile
sit. Malè ergo iuxta hæc principia inferit Hurtadus, corpus
hoc fore physicè diuisibile, ex eo quod esset diuisibile
mathematicè. Neque scio ex quo capite inferat Hurtadus
corpus simplex necessariò fore incorruptibile, nisi forsan
ex incapacitate qualitatum per quas necessariò faciendā
est corruptio, quo posito nullum illi principium superest,
ad probandum corpus illud fore diuisibile physicè, ne-
que corruptibile, vt nos trahat ad vtramque partem con-
tradictionis. Respondeo corpus illud posse esse corrupti-
bile, quia agens naturale poterit corrumpere vnionem in-
tegralem eductam ex partibus, quā corrupta corpus illud
sic certam extensionem requirit, non poterit subsistere, quia
per illam diuisionem destruitur minimum requisitum ad
sui conseruationem.

6 Contra hanc solutionem insurgit Arriaga n. 41. suā sen-
tentia efficaciter, sed non meā, sic argumentatur. Agens
naturale non potest destruere vnionem continuatiuam ni-
si separando partes, quæ antea erant vnitæ: ergo quando
destruit vnionem partium illas separat: ergo remanent se-
paratæ: ergo non corrumpuntur, id enim quod est ab alio
separatum corruptum non est. Respondeo separationem,
seu diuisionem partium duo dicere, corruptionem vnionis
& permanentiam partium carentium vnione, quam antea
habebant: agens, cui separatio, aut diuisio tribuitur tan-
tum præstat illud negatiuum, videlicet destructionem
vnionis inter partes, quæ postea ab alia causa possunt con-
seruari, quam conseruationem non præstat, neque inten-
dit agens, quod vnionem destruxit, ac proinde destructā
vnione, ratione agentis quod illam destruxit poterunt
partes permanere, si sit agens potens illas sine vnione
conseruare, & tunc illud agens, quod vnionem destruxit
dicitur, partes illas separasse, vel poterunt destrui ex de-
fectu agentis, quod illas absque illa vnione conseruare
possit, & tunc agēs vnionem illarum corrumpens non di-
citur illas separasse, neque diuissse si separatio, & diuisio
sumantur, vt sonat, pro aliquo positio, sed tantum vnio-
nem destruxisse, quod contingit in nostro casu, in quo a-
gens naturale corrumpet vnionem, & in eodem instanti
in quo corrumpitur hæc, destruentur partes, quæ erant
vnitæ, & ita non poterunt dici separatæ seu diuissæ ex de-
fectu permanentiæ. Ex quo inferes antecedens illud,
agens naturale non potest destruere vnionem nisi separan-
do partes, falsum esse, quia separatio duo dicit, destructio-
nem vnionis, & conseruationem partium, quæ fuerāt vni-
tæ, quæ cōseruatio non requiritur ad destructionem vnio-
nis, neque ad illam agens conducit, neque incumbit agēti,
quod vnionem destruit, & est omnino per accidens, vt hic
& nunc corrumpatur vnio, partes permāsuras esse corrup-
tā vnione. Vnde in nostro casu agens corrumpens integra-
lem vnionem corporis simplicis, sine qua partes illius nō
conseruarentur, neque vnionem immediatè, neque par-
tes, quæ erant vnitæ mediātè destrueret per separatio-
nem, seu diuisionem partium, sed præcisè per corruptio-
nem, seu per non esse vnionis.

7 Impugnat secundò hanc solutionem Arriaga: vnio illa
non potest destrui ab agenti naturali ex subtractione con-
cursus, quem non præstat, non ex defectu subiecti, quia
inde sequeretur vnionem destrui, quia destruitur subie-
ctum: non è contrario, quia destruitur vnio, vt intendit
exhibita solutio: non per formam contrariam: ego nullo
modo. Respondeo vnionem corrumpi posse per impressio-
nem impulsus recepti in partibus exigentis corruptionem

Franc. de Oueda, Philosoph. Tom. I.

talis vnionis, impossibilis cum illa, cuius impulsus
corpus illud esset capax, sicuti corrumpitur integralis
vnio materie primæ.

8 Ex hoc concludo corpus illud posse esse incorruptibile
& constans partibus vnitis, quas agens naturale non pos-
sit diuidere, quia illarum vnio est incorruptibilis respec-
tu agentis naturalis, sicuti vnio corporum, vel quia par-
tes immediatè, & per se essent vnitæ. Item posse dari cor-
pus simplex talis conditionis, vt destrui possit ab agente
naturali producente impulsus, ex vi cuius destrueretur
vnio requisita, vt habeat minimam extensionem, sine
qua corpus illud conseruari non posset, ex defectu cuius
vnionis destruerentur extrema, quæ sine illa subsistere non
possent. Dixi agens naturale posse destruere vnionem edu-
ctam ex partibus, vt iuxta principia arguentis solutio pro-
cederet, in mea verò sententia vnio creata potest destrui
ab agenti naturali, non physicè, sed producendo qualita-
tem, quæ exigat subtractionem actionis creatiuz, quæ Deus
illam conseruabat, si enim agens naturale exigere potest
creationem anime rationalis per dispositionum intro-
ductionem, cur non poterit exigere annihilationem moduli
vnionis integralis?

9 Argumentatur rursum Hurtadus: corpus illud non fore
sensituum, quia non constaret his quatuor qualitatibus, à
quibus sensationes dependent, & illarum species petunt
in subiecto, in quo recipiendæ sunt temperamentum cali-
dum, & humidum. Mirum est quam frigide contra hoc sim-
plex corpus agatur. Fatetur Hurtadus responderi posse cor-
pus hoc posse sentire per sensationes diuersæ speciei à no-
stris, quæ non dependerent à quatuor qualitatibus tempe-
ramento, & per species inditas à Deo, quæ non exige-
rent hoc temperamentum ex parte subiecti. Addo ego
corpus hoc posse sentire easdem qualitates, quas nos sen-
timus per species illarum, etiam tales qualitates recipere
non posset, quia potentia sensitua potest frequenter senti-
re obiecta in extraneo subiecto recepta. Sed demus cor-
pus hoc non fore sensituum, quid tunc postea? Cœlestia
copora sensitua non sunt, & multi censent gaudere simpli-
citate, quam nos in hoc corpore indagamus.

10 Vltimò arguit Hurtadus: Si tale corpus esset possibile
esset nobilius animo rationali, & esset ignobilius; nobilius
quia esset actus simplex completus: quod dicit maiorem
perfectionem, quàm esse formam informantem: esset
ignobilius, quia anima rationalis habet operationes mul-
tò excellentiores, virtus enim intellectiua, & capacitas
videndi Deum essentialiter dicit perfectionem longè ex-
cellentiorē, quous alio corpore. Idem argumentum pos-
set conficere Hurtadus, de quocumque composito mate-
riali respectu eiusdem anime rationalis. Vnde de musca
conficio argumentum, quod de corpore simplici conficit
Hurtadus, eadem omnino arguendi formā: Musca est enti-
tas completa, totumque substantiale completum, anima
rationalis est entitas incompleta, & pars ordinata ad com-
ponendum totum: sed maiorem perfectionem dicit esse
totum, quàm partem: ergo musca est perfectior animā ra-
tionali. Deinde est imperfectior, quia anima rationalis est
spiritualis capax videndi Deum, &c. ergo est perfectior
& imperfectior. Dices muscam esse entitatem compositam
& animam rationalem esse simplicem, & ita non rectè
argumentum procedere. Contra: Ego non comparo mus-
cam in ratione compositæ, aut simplicis cum anima ad pro-
bandum muscam esse perfectiorem, sed in ratione com-
pletæ, & incompletæ, in qua ratione musca excedit perfe-
ctionem animæ rationalis, etiam si excedatur ratione sim-
plicitatis, quam habet anima. Respondebis muscam non
esse absolute perfectiorem animā rationali, quia etiam si
illam excedat in ratione simplicitatis, quæ est longè ma-
ior perfectio quam habet musca, ex eo quod sit entitas
completa. Placet solutio, sed illam tibi sume. Corpus illud
præcisè si comparetur in ratione totius simplicis cum ani-
mā præcisè quatenus est forma, & entitas ex se inadæqua-
ta secundum hanc rationem vincit perfectionem animæ
rationalis, tamen absolute non est perfectius animā ratio-
nali, quia anima rationalis habet alia prædicata ratione
quorum longè maiori excessu vincit perfectionem illius
corporis, quàm vincitur ex eo, quod illa sit entitas incom-
pleta, & illud corpus simplex completum, & maior, minor-
ve perfectio physica huius entitatis respectu illius sumen-
da est, non ex vno, vel altero prædicato metaphysico, sed
ex omnibus, & ex tota entitate.

Q

Rem

11 Rem clarè vide in rebus aequè simplicibus : compara formam accidentalem spiritualementem, cum substantiali corporea, v. g. praesentiam Angeli cum forma equi, non rectè argueres. Praesentia Angeli est forma spiritualis : forma equi est forma materialis : forma spiritualis perfectior est materiali : ergo praesentia Angeli est perfectior forma equi. Rursus, praesentia Angeli est forma accidentalis : forma equi forma substantialis : forma accidentalis est imperfectior formae substantiali : ergo praesentia Angeli est imperfectior formae equi : ergo est perfectior, & imperfectior. Mala argumentatio, ad hoc enim ut concludatur, praesentiam Angeli absolute esse perfectiorem, non sufficit comparatio facta inter rationem spiritualitatis, sed debet fieri inter omnia praedicata, quae se tenent ex parte utriusque extremi, in quibus computatis excessibus, quibus mutuo exceduntur entitates secundum diversa praedicata, illa entitas absolute perfectior dicenda est, quae secundum plura excedit, quam exceditur. Sic in nostro casu corpus illud simplex excedit animam, quia est completum & compositionem non respicit, quam respicit anima : Exceditur quia anima est spiritualis & capax videndi Deum : computari debent illi excessus, & si maior fuerit, sicuti est de facto ille, qui se tenet ex parte animae, anima absolute perfectior erit, si autem maior esset excessus tenens se ex parte corporis corpus absolute perfectius diceretur. En manifestè redarguitur Hurtadus, & illius argumenti fallacia ostenditur, quae, ut rectè expendit Arriaga, procedit ex suppositione duplicis contradictorii, videlicet praedicatum corporis simplicis completi esse omnium perfectissimum, ita ut illius excessus nullo alio possit compensari, & similiter eandem summam perfectionem habere praedicata, quibus anima constituitur spiritualis, & capax videndi Deum, quibus principiis manifestè oppositis infert animam rationalem esse perfectiorem omni entitate non potenti videre Deum, & consequenter corpore simplicis, & simul corpus simplex esse perfectius omni entitate respiciente compositionem, & consequenter animo rationali, & consequenter animam rationalem esse perfectiorem, & imperfectiorem corpore simplicis, & corpus simplex esse perfectius, & imperfectius animo rationali.

12 Alij arguunt : non potest dari substantia materialis carens omni forma accidentali : ergo neque carens omni forma substantiali. De substantia spirituali idem confice argumentum : non potest dari substantia spiritualis sine aliqua forma accidentali : ergo neque sine forma substantiali. Nego consequentiam quidquid sit de antecedenti, quod si verum est non alia de causa nisi quia est de ratione creaturae iam constitutae in suo esse substantiali capacem esse alicuius mutationis accidentalis, quae per formam accidentalem faciendi est.

§. II.

De compositione integrali.

13 Affirmo non solum posse dari corpus completum indivisibile integraliter secundum substantiam, sed quod sit subiectum quantitatis divisibilis, & extensae. Nulla firmitior probatio in his quaestionibus, quam illa, quae sumitur ex non repugnantia subiecti, quam argumentorum solutiones propugnabunt. Verumtamen antequam argumenta proponam, & solvam, nonnulla praemitto, quae meam conclusionem alienam non esse à vera Philosophia, & à principiis in aliis quaestionibus communiter admissis deductam esse ostendant. In primis de conceptu entis corporei non est divisibilitas integralis, ut ostendo Controvers. I. de anima, Punct. 5. ergo non ex eo quod totum sit corporeum debet esse divisibile integraliter, sed sufficit si sit impenetrabile, vel per se ipsum, vel saltem per quantitatem indivisibilem illi inhaerentem, quia essentia quantitatis non consistit in divisibilitate, seu extensione aptitudinali, sed in impenetrabilitate. Ex quo infero non repugnare corpus aliquod indivisibile integraliter. Partem aliam conclusionis, in qua affirmo posse ex huiusmodi corpore educi quantitatem divisibilem sic suadeo. Non repugnat res divisibilis, & extensaeducta ex subiecto indivisibili : ergo ex eo, quod corpus illud indivisibile esset, non repugnet educi ex illo quantitatem indivisibilem : antecedens debent admittere omnes Thomistae, qui asserunt formas brutorum perfectiores esse indivisibiles, &

quantitatem, & alia accidentia extensa, & divisibilia educi ex toto composito, iuxta quae asserit quantitas divisibilis equi inadquate educitur ex forma indivisibili eiusdem equi, quia implicat educi adquate ex toto composito, qui inadquate educatur ex parte essentiali constitutiva compositi : ergo sicuti educitur quantitas divisibilis ex subiecto inadquate indivisibili, sic poterit educi ex subiecto adquate. Idem clarius admittunt plures Theologi asserentes praesentiam Angeli ex vi cuius constituitur in spatio divisibili, divisibilem esse, & habere partes realiter inter se distinctas efficientes omnes, & singulas subiectum indivisibile, ex quo educuntur : ergo non repugnat rem divisibilem educi ex subiecto indivisibili. Quod si dicas Angelum, & illius praesentiam esse spiritualementem, argumentum à paritate desumo. Non repugnat praesentiam spiritualementem divisibilem, & essentialiter per se ipsam actu extensam educi ex subiecto spirituali indivisibili : ergo non repugnabit, quantitatem corpoream, quae tantum per suam essentiam habet petere extensionem educi ex subiecto corporeo indivisibili. Confirmatur : si ex aliquo capite repugnaret educi quantitatem divisibilem ex subiecto indivisibili esset, quia accidens & subiectum debent commensurari, sed inter accidens spirituale divisibile, & subiectum spirituale indivisibile datur sufficiens proportio, ut accidens è subiecto educatur : ergo eadem potest dari in accidenti corporeo divisibili respectu subiecti corporei indivisibilis, non enim maior proportio requiritur inter accidens, & subiectum spirituale, quam inter accidens & subiectum corporeum.

14 Obiicit. Effectus formalis quantitatis divisibilis est constituere partes subiecti extra alias partes, & illud extendere : sed non possit quantitas divisibilis praestare hunc effectum tali corpori : ergo non possit illi uniri, quia nulla forma potest uniri subiecto, cui non potest praestare suum effectum formalem. Effectum formalem cuiusvis formae nihil aliud esse quam totum resultans ex materia, & forma, ostendam Controvers. 8. Punct. 3. & ita sicuti ex diversis in specie subiectis, effi forma sit eiusdem speciei, resultat totum specie distinctum, sic resultat diversus effectus formalis, & ita licet ex quantitate, & ex subiecto divisibili resultaret necessarii tanquam effectus formalis totum habens partes extra partes, posset dici ex quantitate, & ex subiecto indivisibili resultare diversum effectum formalem, quia resultaret totum specie distinctum, quod partes extra partes non haberet : verumtamen id omitto, & parco, plusquam par esset plures uti hac communicatione effectus formalis subiecto informato per formam, nam cum effectus formalis sit totum, & forma non communicat, nec tribuit totum subiecto : ita si strictè loquendum sit, debet non dici formam tribuere subiecto suum effectum formalem : verumtamen indulgendum est vulgo in loquendi modo, quo effectus formalis dicitur denominatio illa, quae subiecto accrescit, ex eo quod actu vniatur formae, & totum componat.

15 His omisiss : Respondeo subiectum habere actu partes extra partes quando entitatiue habet partes, provenire formaliter à praesentia & non à quantitate, quia per praesentiam formaliter constituuntur partes in illo spatio, in quo sunt. Neque ex vi quantitatis partes subiecti exigunt formaliter praesentiam, ex vi cuius una sit extra aliam, sed ex vi cuius quaelibet pars divisibilis, vel indivisibilis, vel quodlibet totum, cuiusvis sit conditionis, sit in eodem spatio, in quo est quantitas cui vniatur, & cum de facto diversae partes subiecti vniuntur diversis partibus quantitatis existentibus in diversis partibus spatij, ut sint partes subiecti in eodem spatio, in quo sunt partes quantitatis, quibus vniuntur, petunt esse partes extra partes, si tamen partes quantitatis essent in eodem spatio, partes subiecti, quae peterent esse illis intimè praesentes, peterent esse in eodem spatio. Eadem ratione si plures partes subiecti vniuntur eidem parti quantitatis, omnes peterent esse huic intimè praesentes & consequenter, inter se penetrare, & eadem pars, seu idem totum divisibile, vel indivisibile subiecti si vniuntur diversis partibus quantitatis existentibus in diversis spatiis, subiectum illud siue totale siue partiale peteret repeti in omnibus spatiis, in quibus erant partes quantitatis, cui erat vnitum. Hinc deprehendes totum integraliter indivisibile, de quo loquimur vnitum quantitati divisibili, ex vi illius vniionis tantum habitum exigere praesentiam quandam per

per quam repeteretur in omnibus partibus spatij in quibus erant partes quantitatis; quibus erat vnitum, quod vniuersaliter præstat quantitas cuiusque subiecto, sicuti quælibet alia forma, quæ petit subiectum existens in spatio, in quo ipsa est, quia tamen speciale est quantitatis petere habere partes non penetratas, ideo quando vnitur subiecto habenti partes cum correspondentia secundum vnionem partis subiecti, ad partem quantitatis, sicuti contingit in quantis, quæ agnoscimus existentia, tribuit subiecto petere habere partes extra partes, vt correspondeant partibus ipsius quantitatis, quibus sunt vnitæ.

16 Obiic. secundo. Forma debet commensurari cum subiecto ex quo educitur: ergo non potest educi forma diuisibilis ex subiecto indiuisibili. Inso manifestè: forma materialis indiuisibilis educitur in opinione Thomistarum, & potest educi in sententia maioris partis totius scholæ ex subiecto diuisibili: ergo sicuti non repugnat ex defectu commensurationis educi in diuisibilem formam ex subiecto diuisibili, ita non repugnat ex de-

fectu huius educi formam diuisibilem ex subiecto indiuisibili, non enim datur maior commensuratio formæ indiuisibilis ad subiectum diuisibile, quàm formæ diuisibilis ad subiectum indiuisibile. Secundo non maior requiritur commensuratio formæ cum subiecto informationis, quàm cum subiecto vnionis: sed indiuisibilitas formæ non impedit commensurationem requisitam, vt informet subiectum diuisibile, vt patet in anima rationali; neque vt educatur ex illo: ergo diuisibilitas formæ non tollet commensurationem requisitam, vt possit educi ex subiecto indiuisibili. Respondeo formam tantum exigere esse in eodem spatio, in quo est subiectum ex quo educitur quod potest habere forma diuisibilis respectu subiecti indiuisibilis, quia subiectum erit repetitum in omnibus partibus spatij in quibus fuerit pars formæ, quæ ex illo educitur, quæcumque autem commensuratio præter hanc superflua erit, vt forma ex subiecto educi possit. Vide quæ dixi num. 13. de præsentia Angeli. Alia argumenta similia fieri possent, quæ ex doctrina tradita facillè quisque soluet.



LIBER SECVNDVS PHYSICORVM.

14 **E**XPLICATA fuit libro primo natura *Totius* secundum se, & secundum illa, quæ intrinsecè includit; opus est in secundo explicare idem totum in ordine ad proprios motus, qui à toto, & à principiis intrinsecis, quæ includit, proueniunt, & in ordine ad causas intrinsecas, ex quibus componitur; & extrinsecis, à quibus dependet.

CONTROVERSIA VI.

De Natura.

15 **N**ATURAM Aristoteles primò in hoc libro contemplatur, vt pote causam motuum in ordine ad quos Totum corporeum in præsentiarum idem Philosophus meditat.

PVNCTVM PRIMVM.

Definitur natura.

1 **N**ON poterimus non aberrare in lato campo, per quem nomen *natura* vagatur, si viam non sternimus distinguentes varias naturæ acceptiones, vt certam nobis sectandam præfigamus.

2 Varias naturæ acceptiones referunt Conimbr. libr. 2. phys. q. 1. art. 1. & ex illis, qui postea de hac re egere, quas omnes breuiter referam. Primò natura sumitur à probis Philosophis, quorum Seneca 4. de officiis, & D. Augustin. lib. 15. de Trin. c. 1. pro substantia infinita, Deo videlicet Optimo, Maximo, omnium rerum opifice, quem aliqui barbarè vocant naturam naturantem, hoc est creatorem reliquas naturas, quas iidem naturatas, id est, creatas appellabāt. Secundo sumitur natura pro quidditate seu essentia rei. In hoc sensu dicimus Verbum assumpsisse naturam humanam, hoc est, illa, quæ essentialia sunt homini; & in eodem sensu dicimus definitionem explicare naturam rei, videlicet illa, quæ sunt de essentia rei. Nota passim

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

rectè Conimbr. assignasse discrimē inter naturam, & quidditatem, natura enim dicit esse rei in ordine ad se, quidditas verò dicit esse rei in ordine ad definitionem, quæ respondemus interroganti, quid est hoc. Tertiò sumitur natura pro tota collectione rerum naturalium, quo sensu dixit Aristot. 12. Metaph. cap. 7. text. 38. naturam pendere à principio, hoc est, totam hanc mundi machinam dependere à prima causa. Quartò sumitur pro causis naturalibus secundum innatam propensionem, atque virtutem. In hoc sensu dicimus naturam abhorre superfluum, nihil vanè moliri, vacuum non permittere. Quintò sumitur natura pro temperamento, seu complexione cuiuscumque viuētis ex quatuor qualitatibus resultant. Vltimò sumitur natura pro viuētium generatione, quæ natiuitas seu nascentia appellatur, vnde natura dicitur. Hæc est propria, & genuina huius nominis significatio, & vocis acceptio, quia tamē generatio ab interno principio prouenit, nomen naturæ deriuatum fuit, ad significandum internum principium cuiuscumque generationis, seu motus, & hoc titulo substantia, siue viuens, siue non viuens, quæ est principium motus, natura dicitur, de quo principio in præsentia Aristoteles differit. Has naturæ acceptiones apud Conimbr. latius reperies loco citato, quibus nec verbum addidi, illorum enim tum eruditio magna, tum materiæ leuitas quidquam addi non permittit.

3 Naturam secundum propriam acceptionem, quam vltimò retuli definit Aristot. text. 3. *Principium, & causa, ut id moueatur, & quiescat, in quo primò, & perse, & non secundum accidens inest.* In prima definitionis voce offendunt Doctores, quæ in hac definitione superflue videtur, ad quid enim *principium*, & *causa*, ponitur in definitione, si causa conceptus in se formaliter principij conceptum exprimit. Auicenn. cum Burleo, quibus consentit Tolerus dicit per *principium* intelligi formam, per *causam* materiam.

Q. 2 Abs